Gymnasium zu Lemgo.

Jahresbericht

über das

Schuljahr 1887|88.

Erstattet

vom

Direktor Dr. Albrecht Jordan.

Inhalt: 1. De Eunapii codice Laurentiano. } vom Direktor.
2. Schulnachrichten. } vom Direktor.

Lemgo 1888.
Druck von F. L. Wagener.

1888. Progr. Nr. 668.

De Eunapii codice Laurentiano.

De Eunapii Sardiani codicibus disputare pergo.*)

Codices, qui Eunapii vitas philosophorum et sophistarum continent, aut collati a me aut inspecti sunt duodecim:

Vaticanus 140, chartaceus in quarto, ut dicitur, saeculi XV vel XVI. Continet Diogenis Laertii libros, Philostrati vitas sophistarum et epistulas, Eunapii vitas (fol. 232 r. — 259 v.), Alciphronis epistulas. Paginae huius codicis madore ita sunt decoloratae, ut in magna earum parte ne litera quidem agnosci possit. cfr. de eo Hasium in Boissonade ed. Amstelod. praef. p. V.

Ottobonianus 46, chartaceus in folio saeculi XV vel XVI. Eunapii vitae leguntur inde a fol. 143 r.

Palatinus 51, chartaceus in folio saeculi XVI. Eunapius legitur fol. 57 r. — 101 v.

Palatinus 53, chartaceus in folio saeculi XVI. Eunapius continetur fol. 359 r. — 294 v.

Barberinus II. 73, chartaceus in folio, fol. 1 r. — 38 v. Eunapii vitas, fol. 41 r. 112 v. Porphyrii opera duo continens. In fine folii 112 v. legitur:

ἀδελφὸς οὐαλεριανὸς φορολιβισὲσ [?] *ὁ ἀλβίνου ταύτην βίβλον ἐν τῷ μοναστηρίῳ τοῦ ἁγίου ἀντωνίου ἐνέτεσιν ἔγραψε ἔτει τοῦ κυρίου ἡμῶν αφλθ* (1539).

Borbonicus III D. 8, chartaceus in folio saeculi XVI, non XIV, ut Avellinio teste in praefatione edit. Amstel. p. IX Boissonade affirmat, cui hic codex Neapolitanus tertius est.

Borbonicus III B. 32, chartaceus in octavo saeculi XV vel XVI.

Ambrosiani C. 120 sup. et **D. 278 inf.**, uterque chartaceus saeculi XV vel XVI.

Marcianus 518, Eunapium continet fol. 82 r. — 96 v. Ultimi versus folii 86 r. quique in p. 96 v. leguntur ab alia manu eaque minus diligenti appositi sunt. Hunc codicem a Laurentiano descriptum esse vidit Jac. Morellius, codicum, ut plus semel cognovi, iudex acutissimus.

Parisinus 1405 (olim Fonteblandensis), chartaceus saeculi XVI.

Laurentianus 86. 7, membranaceus in quarto saeculi XIIII, qui post Aeliani de natura animalium librum ab alia manu conscriptum Eunapii vitas continet fol. 218 r. — 256 r.

Hos omnes ex uno libro eoque mutilo esse derivatos fine operis eisdem in omnibus lacunis maculato demonstratur. Quem librum esse codicem Laurentianum 86, 7 cognovi, ubi folium eius 256, ultimum quondam codicis, contuli. A tineis enim cum partibus folii literas nonnullas in iis perscriptas rodendo absumptas, madore alias deletas esse vidi, ut haec hodie restent:

---

*) Insertum erat hoc commentariolum epistulae, quam ad **Ludovicum Hoelscher**, gymnasii Herfordiensis prorectorem et professorem, philosophiae doctorem semisaecularem, miserunt gymnasii Lemgoviensis collegae.

ἐκέλευσεν. οὐδὲ γὰρ ἄπειρος ἦν ἰατρικῆς ὁ ταῦτα . . . . Ἑλλησπόντιος δὲ ἀκούσας παρῆν ἀγανακτῶν καὶ ποτνιῶ . . . . ὡς μεγάλου κακοῦ γεγονότος κτλ. — — — — — Ὁ δὲ Χρυσάνθιος εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ὥραν τοῦ ἔτου. κατὰ θέρος ἱστάμενον ἐπὶ τὴν αὐτὴν θεραπείαν ἐλθὼν καί τοι τοῦ συγγραφέως προειπ . . τος τοῖς ἰατροῖς περιμένειν αὐτὸν κατὰ . . . υνηθες, οἱ μ . . ἔφθασαν ἐλθόντες, ὁ δὲ ὑπέσχε τὴν χεῖρα, καὶ π . . . μετρ . . γενομένης τῆς κενώσεως, παρέσεις τε τῶν μερῶν . . . λούθησαν καὶ τὰ ἄρθρα συνέκαμνεν καὶ κλινοπετὴς ἦν . . . . Ὀριβάσιος ἐνταῦθα παραγίνεται δι' ἐκεῖνον, καθ' ὑπερβολ . . μὲν ἐπιστίμης μικροῦ καὶ βιασάμενος τὴν φύσιν . . . σμασιν θερμοτέροις καὶ μαλάττουσι τὰ κατεψυγμένα .ικροῦ πρὸς τὸ νεάζειν ἐπήγαγεν κτλ.

Literae omissae, quas rodendo aut madore consumptas esse dixi, in ceteris quoque libris ita omnes fere desunt, ut earum loco spatium vacuum a scribis sit relictum. Qua re satis superque — id quod Boissonade negavit — Laurentianum reliquorum esse archetypum videtur probari.

Ceterum ne nimis magna ad Eunapii verba emendanda ex hoc reliquorum archetypo subsidia exspectes, cave. Erravit enim Lucas Holstenius, qui antiquum et praestantem hunc librum appellavit, erravit Bandini, qui saeculo XII eum esse scriptum narrat. Neque enim ante saeculum XIV descriptus est et ab homine minime diligenti et ex archetypo, qui non optime habitus fuisse videtur. Nullam autem omnino utilitatem ex eo capi posse ne quis credat, antequam huius disputatiunculae finem faciam, locum addere liceat, quo et quod supra demonstravi, non mediocriter firmari videtur, et textus, qualis a viris doctis est editus, emendatur.

Cum maxima enim ex parte codex optime sit servatus, nescio quo tempore incidit, ut superior potissimum pars foliorum tantum non omnium humore ita inficeretur, ut primi versus foliorum rectorum literae ultimae, versorum primae paene deletae sint nec lectu faciles. Ita praeter ceteras sex quinqueve literae in folii 232 r. versus primi fine positae vix ac ne vix quidem dignosci posse videntur. Itaque factum est, ut quicumque hunc codicem aut descripserunt aut contulerunt, has literas legi posse desperantes textum ita ederent lacunosum (Boisson. ed. Amstel. p. 45, ed. Paris 472,43):

> *Ὀστέα γὰρ καὶ κεφαλὰς τῶν ἐπὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασιν ἑαλωκότων συναλίζοντες* (de monachis loquitur), *οὓς τὸ πολιτικὸν ἐκόλαζε δικαστήριον* (incipit fol. 232 r.) *θεούς τε ἀπεδείκνυσαν καὶ προσεκαλινδοῦντο τοῖς . . . . . καὶ κρείττους ὑπελάμβανον εἶναι μολυνόμενοι πρὸς τοῖς τάφοις.*

Percommode autem accuratius quaerenti accidit, quod atramenti particulae humore solutae ita in paginam oppositam translatae sunt, ut aliquanto ibi clarius atque magis quam in pristina sede perspicue literarum vestigia appareant. (Idem et in hoc codice saepius et in aliis factum esse vidi, cfr. quae de codice philolog. graec. Vindobon. 314 scripsi in Herm. vol. XIV.) Utramque igitur paginam iterum atque iterum diligentissime perscrutatus certa demum vestigia literarum . ς.οις collegisse mihi visus sum, quibus satis *τοῖς ὀστέοις*, non *μνήμασιν*, quod coniecit Boissonade, Eunapium scripsisse probatur.

Schulnachrichten.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

I. Uebersicht über die einzelnen Lehrgegenstände und die für jeden derselben bestimmte Stundenzahl.

<table>
<tr><th></th><th>VI</th><th>V</th><th>IV</th><th>IIIb</th><th>IIIa</th><th>IIb</th><th>IIa</th><th>I</th><th>Sa.</th></tr>
<tr><td>Religionslehre</td><td>3</td><td>2</td><td>2</td><td colspan="2">2</td><td colspan="2">2</td><td>2</td><td>13</td></tr>
<tr><td>Deutsch</td><td>3</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>3</td><td>18</td></tr>
<tr><td>Lateinisch</td><td>9</td><td>9</td><td>9</td><td>9</td><td>9</td><td>8</td><td>8</td><td>8</td><td>69</td></tr>
<tr><td>Griechisch</td><td></td><td></td><td></td><td>7</td><td>7</td><td>7</td><td>7</td><td>6</td><td>34</td></tr>
<tr><td>Französisch</td><td></td><td>4</td><td>5</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>19</td></tr>
<tr><td>Englisch</td><td></td><td></td><td></td><td></td><td>2</td><td colspan="2">2</td><td>2</td><td>6</td></tr>
<tr><td>Hebräisch</td><td></td><td></td><td></td><td></td><td></td><td colspan="2">2</td><td>2</td><td>4</td></tr>
<tr><td>Geschichte und Geographie</td><td>3</td><td>3</td><td>4</td><td colspan="2">2
1 | 1</td><td colspan="2">3</td><td>3</td><td>20</td></tr>
<tr><td>Rechnen und Mathematik</td><td>4</td><td>4</td><td>4</td><td>3</td><td>3</td><td>4</td><td>4</td><td>4</td><td>30</td></tr>
<tr><td>Naturbeschreibung</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td></td><td></td><td></td><td>10</td></tr>
<tr><td>Physik</td><td></td><td></td><td></td><td></td><td></td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>6</td></tr>
<tr><td>Schreiben</td><td>2</td><td>2</td><td></td><td></td><td></td><td></td><td></td><td></td><td>4</td></tr>
<tr><td>Zeichnen</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td colspan="3">1</td><td></td><td></td><td>7</td></tr>
<tr><td rowspan="2">Singen</td><td colspan="3">2</td><td colspan="5">1</td><td rowspan="2">4</td></tr>
<tr><td colspan="8">1</td></tr>
<tr><td rowspan="2">Turnen</td><td colspan="2">[2]</td><td colspan="3">[2]</td><td colspan="3">[2]</td><td>[6]</td></tr>
<tr><td colspan="4">2*</td><td colspan="4">2*</td><td>4*</td></tr>
<tr><td>Summe der obligatorischen Stunden ohne Singen und Turnen:</td><td>28</td><td>30</td><td>30</td><td>30</td><td>32</td><td>32</td><td>32</td><td>32</td><td>247</td></tr>
</table>

Anm. Die eingeklammerten [—] Stunden wurden nur im Sommer, die mit * bezeichneten nur im Winter erteilt.